



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

III. De eodem, & quod multum delinquit, qui fidem violat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO CHRISTI
1179. stitutus, nos consuluit, cui potius adhærere deberet. Quia vero nequaquam nobis innotuit, vtrum post fidem p̄st̄tam primam cognouerit: fraternitati tux, &c. quatenus rei veritatem diligenter inquiras, & si cognoueris quod primam post fidem datam cognouerit, ipsum cum ea facias remanere. Quod si post fidem datam eam non cognouerit, secundæ, nisi metu coactus, qui posset in quemlibet virum constantem cadere, eam despōsauerit, tamquam vxori facias adhærere.

22. q. 4. Inter cetera.
Sed ibi iurauit, hic non.

C A P. II. *Idem eidem.*

Ex præsentium latoris confessione percepimus, quod cum ipse quamdam alterius vxorem in adulterio polluisset, poenitentiam inde suscepit. Sed postea in eumdem incidit, diabolo instigante, reatum, ac eamdem mulierem, viro defuncto, sibi in matrimonium copulauit, eamque afferit in præsenti pro coniuge * retinere: Verum quoniam nos de salute animarum ipsorum sollicite compellimur in Domino cogitare: fraternitati tux, &c. quatenus rem ipsam diligenter inquiras: & si tibi constiterit, quod ille vel illa in mortem prioris viri fuerit machinatus, vel si eo viuente fidem ipsi mulieri dederit, se eam in coniugem recepturum, eos non differas penitus separare. Quod si neutrum istorum constiterit, in causa ipsa iuxta ecclesiasticam consuetudinem & canonica statuta procedas.

C A P. III. *Idem eidem.*

Peruenit ad nos, quod quidam miles R. nomine, fide interposita, in multorum præsenta promisit se contraactuum matrimonium cum quadam puella filia Eduuini de Baseleher: sed postmodum, licet ex ea prolem susceperit sicut ipse nobis afferit, fidem inde violare non timens, alteri adhæsit, & prædictam puellam quam dicitur deflorasse, in vxorem ducere contradicit. Quoniam igitur non modicum delinquit, qui fidem violare præsumit: discretioni vestræ, &c. quatenus rei veritatem diligenter inquiratis: & si vobis pro certo constiterit, præfatum militem prænominatam puellam in vxorem dueturum fide interposita promisisse, & postmodum eam cognouisse, eudem militem monere studeatis, & diligenter inducere, vt

Concil. Tom. 27.

Tttt ij

memoratam puellam, omni appellatione & contradicione cessante, in vxorem ducat: vel si commonitionem vestram contempserit, & eam in vxorem ducere noluerit, vel alter vestrum, si vterque interesse non potest, illum sub districione anathematis mandatum nostrum adimplere compellat.

C A P. IV. *Idem Lucensi episcopo.*

Sane consuluit nos tua discretio, quid faciendum sit de muliere, quæ post mortem viri sui, vestibus preciosis abiectis, mutauit habitum, & de manu * presbyteri velamen ^{priuia} assumpsit, sed non renuntiauit propriis, nec intrauit claustrum, nec in manu episcopi, aut abbatis, aut abbatissæ, vel super altare est professa, vel obedientiam promisit: postmodum vero anno elapso, cum multorum inquietudines ferre non posset, & lapsum incontinentia formidaret, abiecta religionis habitu, cuidam nobili solenniter in facie ecclesiæ nupsit. Super hoc itaque consultationi tuae taliter respondemus, quod sicut simplex votum matrimonium impedit contrahendum, sed non dirimit contratum: ita sine professione & proprietum renuntiatione, habitus suscepit, ne contrahatur, impedit; sed consummatum nequaquam dissoluit.

C A P. V. *Idem VVintoniensi episcopo.*

Non sunt vna caro vir & mulier, nisi carnali copula cohæserint: idcirco sponsa defuncta intæcta, eius soror sponso hoc non impediente, libere ducitur in vxorem.

C A P. VI. *Lucius tertius * Capriano episcopo.*

Requisiuit a nobis fraternitas tua, qua censura mulier compelli debeat, quæ iurisurandi religione neglecta, nubere renuit cui se nupturam interposito iuramento firmauit. Quæsiuisti etiam, si cuius vir matris torum pollluit, ad alia vota, cum filios desideret, viro possit viuente transire. Ad quod breuiter respondemus, quod mulier quæ se nupturam iurauit, cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, maxime cum coactiones huiusmodi difficiles exitus soleant frequenter habere. Illa sane, cuius vir cum matre adulterium & in-

Mulierem
quæ se nu-
pturam iu-
rauit, nube-
re non co-
gendam.